





QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
CAMBII INVALIDI IN-
DOSSATIO CAMBIVM REDDAT
VALIDVM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE X. IVL. ANNO MDCCCLXXI.

DEFENDET

IOANNES GOTTLIEB RICHTER


GROS-BOTHENA MISNIC.

LIPSIAE

LITERIS RYMPFII.

COVESTIO
IVIS CONTOVERSI
CAPITULI IN
COLLEGIUM CANTUARIENSEM
D. CHRISTIANO TENN. BRENNING
IN ABBATIA VERTINO
IOHANNIS BOHNER TIGER





A N

CAMBII INVALIDI INDOSSATIO
CAMBIVM REDDAT VALIDVM.



§. I.

Indossatio, vox mediæ ævi, ut est apud *du FRESNE* in *Glossario* in v. *indossare* actum eum denotat, quo in cambialium literarum aduersâ parte inscribitur potestas contenta earum exigendi valide. Ipsam hanc inscriptam potestatem *indossamentum* vocant, iteratamque indossationem *Giro*, saltem ut vult *BERGER* in *Supplem. ad Elect. Proc. Execut. ad th. L. pos. 26. p. 10.*

A 2

Haec





Haec satis nota. Imo satis tritum est, hanc indossationem duplici modo fieri, scilicet, vel constituendo procuratorem indossatarium, quod vulgo dicunt per modum procura, vel cedendo ius, seu quoties indossatarius constituitur cessionarius, ut sic ex iure cesso ipsarum literarum cambialium solutionem exigat. Veraque indossatio locum habet in cambiis simplicibus aequae ac qualificatis, nec non in regularibus et irregularibus, quamvis negandum non sit, pro diuersitate cambii diuersa obseruanda quoque esse iura.

§. II.

Ante omnia cum animus sit, quaestionem dubiam decidendi, natura ipsius indossamenti accuratius ponderanda, quo possimus dein rectum ferre iudicium. Indossamentum fit per scripturam. Necessae est igitur, ut cum ex indossamento actio instituat, ea naturam documenti probantis contineat, non quidem per se tantum, sed referendo se ad cambiales ipsas literas. Magis ergo indossamenti scripti vis est legitimationis. Per eam enim indossatarius admittitur ad actionem ex cambio institutam. Cum autem indossamenta duplicis sint generis, alia ad effectum mandati, alia ad effectum cessionis, sequitur, requisita substantialia mandati deprehendi debere in indossamento in vim mandati, contra requisita documenti cessionis debere adesse in indossamento in vim cessionis. Haec indossatio ius, quod indossans habet, transfert in indossatarium, eumque facit cambii dominum; contra illa efficit, ut indossans et indossatarius tantum habeantur pro vna persona.

§. III.

§. III.

Concludo ex his praemissis rationibus, eam esse naturam indossamenti, ut per se absque praecedente alia eaque vera obligatione subsistere atque effectum producere nequeat. Nam in indossamento ad vim mandati necessario praesupponitur praecedens aliqua obligatio, ad quam exigendam datur mandat, quod frustra datum esset, nisi primaria illa obligatio, quae indossata est, existeret. Contra in indossamento ad effectum cessionis facile patet, indossatarium succedere in locum indossantis per indossationem; sequitur ergo: adesse debere negotium aliquod obligatorium praecedens, cuius obligationem vel potius ius cedendo in alterum transfert. Quapropter si nulla praecedens existat obligatio, nulla est cessio, nullum ergo indossamentum. Dein qualis generis et naturae est obligatio praecedens, talis est quoque cessio, et per consequentiam indossatio ad effectum cessionis. Qua de causa, si praecedat nuda obligatio, cedendo cessionarius nudam sibi quoque obligationem acquirit, quippe cedens plus iuris in cessionarium transferre nequit, quam quantum habuit. Contra si qualificata est obligatio, eandem cedendo cedens transfert in cessionarium.

§. IV.

Praemissis itaque his principiis, facilis erit propositae quaestionis decisio. Fac Sempronium, cui lex negat obligationem cambialem, Titio in securitatem crediti dare obligationem literis cambialibus firmatam. Titius postea has literas cambiales cedit indossando Maeuio. Cambialis obligatio nulla nec Titio erit, nec Maeuio, cum Sempronius iuris cambialis compos non esset, iam vero

A 3

quae-



quaeritur, cum Indossatarius Maeuius a Sempronio valutam solutam haud acciperet, ipseque contra indossantem Titium acturus esset, an agat cambialiter? Ita sane sunt, qui adfirmant, et memini ita Scabinos Lipsienses pronuntiasse, nec repugno, si aliqua expressa lex adfit, quae hoc casu indossantem cambialiter obliget. Sed paulo distinctius rem esse decidendam arbitror. Aut enim Titius dolo malo alterum ad accipiendum indossamentum induxit, persuadens rigore cambii indossatarium satis tutum fore: recte suae nequitiae ferat poenam atque cambii rigore tractetur ad valutam soluendam, si solutionem ab debitore principali impetrare non possit. Aut cum indossamentum scriberet, simul se propter regressum ob non factam solutionem, vel ob negatam acceptationem cambii promittendo submittit rigori cambiali; dubium non est, Titium indossantem, qui quidem se fortius poterat obligare, quamuis non in maius, ex superueniente promissione tunc cambialiter et obligari et conueniri posse.

§. V.

Iam quid? si absque dolo vel bona adeo fide Titius Cambiales litteras a Sempronio, qui ius cambiandi non habebat, indossando cefferat Maeuio, an et hac specie indossatio illa efficiat cambialem rigorem. Videamus, quae fit in vero cambio causa, cur conuentus indossans, teneatur rigore cambii. Putauerim, hac specie rigorem cambialem exinde pendere, quod mihi ius sit, si debitor cambialis haud soluerit, contra eundem cambialiter experiendi: indossando eandem obligationem soluendi valutam in me recipio, et succedo in locum ipsius debitoris. Quapropter

pter si inualidum fuerit cambium mihi que rigor cambii contra debitorem non competierit, sequitur, me non potuisse hoc ius in alterum transferre, quippe cum in illius locum succederem, qui cambialiter non tenebatur eiusque in regressu obligationem indossando in me susciperem; nunquam itaque indossatarius ius habere poterit, grauiori rigore contra me indossantem experiendi, quam quanto rigore debitor a me conueniri poterit. Si ergo inualidum sit cambium, poterit indossatario rigorem cambialem haud concedere solo indossamento, quippe si indossans conueniret debitorem, nec liceret indossanti eundem cambialiter conuenire. Plus enim iuris, quam quod habuit indossans, transferre in alterum non potuit, et sustinendo debitoris principalis personam, duriori ratione conueniri haud debet, quam qua ratione debitor ipse conueniendus erat.

§. VI.

Aiunt indossando agnoscit cambium, hinc aequum quoque fore, vt cambialiter conueniatur. Sed vix ita iudicarem. Agnoscet quidem cambium, quatenus putat in eo esse obligationem ad summam expressam exigendam, sed non propterea aliam qualitatem tribuere cambio potest, quam quae vere ipsis literis inest. Quapropter, si a persona ad cambiandum inhabili cambium datum, transfert ius obligationem chyrographariam illam exigendi, sed indossando non efficit, vt cambium validum fiat. Dein, nunquam indossanti animus est, primario sese obligandi, sed indossando efficere vult, vt ab indossato indossatario valuta soluatur. Quare, si valutam non consequitur solutione, regressus demum ad indemnitate[m] oritur, ad quam praestandam cedendo se obligauit, sed exinde
non

non sequitur, sese voluisse indossantem in durio rem causam obligare, quam quae est ipsius debitoris principalis obligatio, modo dolus et fraus absit. Nec obstat, quod in facto indossationis nouum negotium contineatur, quod concedo, semper tamen accessorium erit negotium, quod absque peculiari conuentione sequitur principale.

§. VII.

Tandem cum in pari causa versentur et indossans et indossatarius, ille, quod inualidum cambium indossauerat, hic, quod ex indossamento acceperat, cum vterque scire poterat, ex eo cambio haud effectum cambii extitutum, quod inualidum sit, seu quod a persona, cui a rigore cambii ex Lege exemptio data, scriptum, neutri ius competet experiendi cambialiter. Ea enim imputatio, quae creditori seu indossanti facienda, quod contra debitorem cambialiter agere nequeat, pari ratione facienda indossatario, quod inualidum cambium ab indossante acceperit. Sequitur, Leges illas cambiales e. c. Leipziger Wechselordnung §. 19. Braunschweigische Wechselordnung. Art. XXXVI. Hamburgische Wechselordnung. Art. XXII. Danziger Wechselordnung. Art. XXVII. Augspurger Wechselordnung. Cap. VI. §. 1. et alias, quae indossatario concedunt contra indossantem rigorem cambialem, intelligendas esse tantum de cambiis per se validis. Haec ergo de inualidis cambiis, seu iis scriptis obligationibus, ex quibus quidem executiue agi potest, non aequo vero cambialiter, statuenda; nihil addimus de cambiis nullis, seu quibus plane nulla inest obligatio. Nec de indossatis inualidis per modum mandati, quippe in his nulla quaestio existit.

ULB Halle

3

008 558 760



1078





2832

1771, 25.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
CAMBII INVALIDI IN-
DOSSATIO CAMBIVM REDDAT
VALIDVM

QVAM



LIPSIAE
LITERIS RUMPFIIIS.